QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS, MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXV. FEBRVARII, M. ANDRÆA LE GROS DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Ver Sanitati tuendæ, ac restituendæ opportunissimum?

SVB Cœlo, nihil ab omni parte beatum. Natura quod melius est semper intendit, sæpe tamen deficit. Homo μικρόκοσμος, animantium maximè perfectus, imperfectus, ab ortu primo, pacem & bellum intra se gerit: Elementa quippe, proprias formas in eius compositione retinentia, ipsamet mutuò agendo repatiendóque, vnionem corporis & animæ dissoluunt: nec minus externis patet commodis, & incommodis, quorum primas obtinet inconstans Aër, ex Solis per Zodiacum annuo circuitu transeuntis, accessu & recessu, diuersas qualitates induens, & bene vel malè nos afficiens. Vt Asia temperata, sic homines pulchros, & conformatos generat: in Africâ, calore externo internum dissipante, nascuntur homines parui, βραχυβιώτεροι: in Europa, fortes, bellicosi, & ad omnes artes scientiásque idonei.

IN hac vitâ quaternario Ætatum numero circumscriptâ, homo sanitati & morbo vicissim subijcitur. Sanitas, naturalis partium διάθεσις, actiones perficiens, summum bonum est, morbo contraria: felices igitur bene nati, & sanis parentibus procreati, nam vnà cum semine excremento vtili, generationis humanæ cum sanguine menstruo, principio animato, & à toto deciduo, bonus vel malus parentum in prolem traducitur habitus, & quibus morbis obnoxij fuerint, hi in natos veluti hæreditario iure transferuntur; & ex epilepticis, arthriticis, calculosis, leprosis, Indicâ lue infectis tales nascuntur liberi.

SANITATI tuendæ, primùm Aëris habenda est ratio, tenuis enim, lucidus & purus, non putridus inspirandus: loca ad Austrum versa, morbosissima, maximèque pesti obnoxia: ad Orientem & Aquilonem saluberrima: excelsa, vel profunda improbanda, media probanda. Aura temperata in quolibet corporis statu conueniens est, Sanitatem in corpore temperato, perpetuò conseruat, in intẽperato à morbis præcauet, & iam creatos propellit. Cõseruatur sanitas similibus, morbus curatur contrarijs. Ver εὐκρατότατον, καὶ ὑγιεινότατον, contrarium Autumno, omnibus ætatibus & naturis noxio, amœnitate & virtute vitali, cæteras Anni tempestates superat: eoque tempore, Sole mundi animâ, Arietis, Tauri, & Geminorum signa percurrente, viuifico eius calore mitescit Aër, & blando Fauonij spiritu recreantur omnia.

ALIMENTA vitæ producendæ omnino necessaria: Panis optimus fit è tritico, siliginens, fermẽtatus: Carnes laudantur iuniores, & vetustiores pisces: Iuscula carnium oleribus recentibus alterata, præsertim manè saluberrima: Tenues cibi solidiores præcedant: Prandium largius sit Cœnâ. Vinum Sanguis terræ, potus omnium optimus, vt pueris prohibendum, sic senibus merum concedendum, ætatibus medijs aquâ diluendum. Consuetudinis habenda est ratio. Aqua sit illimis, pellucida & leuis, qualis est fluuialis & fontana, necnon pluuialis tonitruosa: Niualis, glacialis & per tubos plumbeos decurrens, insalubres. Labor cibos præcedat. Somnus sit nocturnus, senibus etiam diurnus concedatur. Veneri noctu post somnum indulgendum: quo Venus rarior eo melior. Inter animi pathemata, Ira corpus incendit, exsiccat, phrenitidem inuehit: Tristitia calorem natiuum humorum copiâ obrui sinit, spiritus suffocat, mentem hebetat: Animus gaudens, ætatem floridã facit.

IN laudabiliori corporis temperaturâ, ex cibis quantumuis euchymis & eupeptis, triplex fit pro triplici coctione, excrementorum prouentus, quæ nisi facultas expultrix, altrici subseruiens, valido robore eliminet, morborum myriadem postmodum pariunt. Vernali tempestate, magis quàm quouis alio tempore, Natura sanitatis conseruatrix, & morborum medicatrix valida est, totum corpus fit εὔφορον, eáque humores intus hyeme quietos excitat, & si noxij sint ad exitum promouet: Sanguis benignus humor, à quo mitiores morbi fiunt dominatur: morbi à plethorâ & cacochymiâ, remedijs facilè cedunt: Quibus phlebotomia vel catharsis, vniuersalia remedia conueniunt, etiam pueris, senibus, & prægnantibus, tutiùs vere, & autumno, quàm hyemali, vel æstiuo tempore, vsurpanda.

Ergo Ver Sanitati tuendæ, ac restituendæ opportunissimum.

Proponebat Lutetiæ GEORGIVS IOVDOVYN, Rothomagensis. Anno R.S.H. M.DC. XXVII.